



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CVII. Argumentum. Demonstratur, cur, & quando Confessarius teneatur ad restitutionem, quam pœnitens ipse facere dabedat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Non curare preces, seu dona aliquorum. 9. Judicare sic pauperi, sicut diviti; ira fratri, & filio, sicut ex-
traneo. Qualitates utique attendenda.

DECISIO CVII.

ARGUMENTUM.

Demonstratur, cur, & quando Confessarius te-
neatur ad restitutionem, quam poenitens ipse
facere debebat?

SUMMARIUM.

1. Confessarius quando obligatus sit ad restitutionem?
2. Confessarius indoctus non obligans poenitentes ad
restitutionem peccat, sed ipse non tenetur restituere.
Et cur?
3. Confessarius tenetur restituere, si dixerit poeniten-
ti, ne restituat.
4. Confessarius monens poenitentem de sua mala re-
sponsione liberatur ab obligatione restituendi.
5. Confessarii ignorantia non excusat eum à restitu-
tione.
6. Confessarius ignorans an peccet contra charitatem,
vel contra iustitiam?
7. Iudex tenetur ad lationem partis per eum gra-
vata.
8. Confessarius an sit obligatus prospicere bonis credi-
torum poenitentis?
9. Confessarius indoctus pluries audit in Confessione
peccata furorum, fraudum, & usurarum, & nun-
quam injunxit poenitentibus obligationem restituendi.
Quaeritur, an Confessarius ipse teneatur ad restitu-
tionem?

Responsum fuit ab omnibus non teneri;
quando ex ignorantia, et si crassa, & vinci-
bili, seu ex oblivione non injunxit poenitentibus
obligationem restituendi; & ratio est, quia
obligatio restitutionis non oritur, nisi ex viola-
tione iustitiae, aut contractus, Confessarius
verò indoctus non lædit iustitiam respectu credi-
torum, quia ipsis non est obligatus, neque
tenetur ex officio prospicere bonis temporali-
bus creditorum, cum ab illis nullam mercedem
accipiat; sed peccat tantum contra Religionem,
& contra charitatis legem, ex cuius virtute de-
bet monere poenitentem, ut restituat in ordine
ad ejus salutem. Verum enim verò tenebitur
Confessarius ad restitutionem, si interrogatus à
Poenitente, an esset obligatus restituere? ipse
ex ignorantia crassa, vel malitia respondisset,
non esse obligatum; nam tunc ejus responsum
est causa positiva, & vera damni, ut dictum est
supra de consulentibus, & ideo tenetur ad restitu-
tionem. Gobat in Experiment. Theolog. tract. 7.
casu 18. num. 564. & ibi Coninck. de Sacram. di-
sp. 8. dub. 17. num. 144. Layman. libr. 3. tr.
4. cap. 7. num. 6. Cotonius in summa Diana.
Confessarius num. 41. Ipse Antonin. Diana part. 2.
tract. 16. resol. 1. quæ requiescit in opere Coor-
dinato tom. 1. tract. 6. resol. 22. Bonacina, qui
plurimos concordantes, sed nonnullos adver-
santes allegat, tom. 2. de Restitutione in gener. disp.
1. quæst. 2. punct. 11. num. 15. Eminentiss. Cardin.
de Lugo de Sacram. Poenitentia disp. 22. à num. 60.
& seqq. qui num. 64. notat, quod si Confessa-
rius monuerit poenitentem de errore suo, & de
malo consilio dato, cessabit in ipso Confessa-
rio obligatio restitutionis; ea ratione, quia in
aliis consulentibus non cessat obligatio, ob
continuationem motivi, quo fuit damnum sua-

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

sum; at in nostro casu motivum Confessarii est
ejus autoritas, quæ omnino aufertur revocato
consilio, & facta protestatione de veritate con-
traria; quare prior error non potest amplius in-
fluere in negationem restitutionis; & sic Con-
fessarius liberatur ab onere restituendi.

Ceterum hæc doctrina Cardinalis Lugo de
necessitate admonendi poenitentem à Confes-
sario, qui ignoranter eum deobligaverat à re-
stitutione, ut seipsum liberet ab onere restitu-
endi, debet procedere etiam in casu, quo ipse
Confessarius omisisset sive ex malitia, sive ex
ignorantia, aut ex inadvertentia monere Poeni-
tentem in Confessione de obligatione restitutio-
nis; siquidem non est verum, quod ignorantia,
seu oblivio reddat Confessarium immunem ab
obligatione restituendi, si poenitens ipse non re-
stituatur; nam ut piè, ac doctè advertit Eminen-
tiss. Cardin. de Laurea in 4. lib. Sentent. tom. 2.
in tract. de Sacramento Poenitent. disput. 21. artic. 4.
num. 106. quilibet Confessarius tam ex officio,
quam ex charitate, si in ministerio Sacramenti
Poenitentiae omisit monere poenitentem de re-
stitutione facienda, sive id fecerit ex malitia,
sive inadvertentia, tenetur postea, cum adver-
tit, monere poenitentem, & si non moneat, te-
netur ad restitutionem: & manifesta est ratio,
quia illa omisio influit moraliter in proximi læ-
sionem; ergo tenetur eam destruere per actum
oppositum, qui removeat influxum; quod si
non removeatur influxus, tenetur ipse ad resti-
tutionem.

Neque suffragari potest tali Confessario in-
docto illud fundamentum, quod ignorantia,
seu omisio ejus sit peccatum contra charitatem,
vel Religionem tantum, non autem contra ius-
titiam: siquidem ut disputat, & plene probat
Eminentiss. Cardin. de Laurea dict. disput. 21. n.
107. & 108. ministratio Sacramenti Poeniten-
tiae est actus iustitiae in quocunque ministro,
nam minister est Iudex. Conc. Trident. sess. 14.
cap. 2. & iudicium ejus est actus iustitiae; quo,
licet absolvat, tamen ligat ad poenam tempora-
lem. Igitur debet esse actus iudicii iusti, sed fa-
cit injustum iudicium omittendo obligare Poeni-
tentem ad restitutionem cap. Omnis viriusque sexus.
de Poenitent. & remis. Igitur ut repararet injusti-
tiam, quam committit, omittendo iuste judicare
tenetur vel monere poenitentem, ut restituat,
vel ipse restituere. Et confirmatur, quia quili-
bet Iudex tenetur ad lationem partis, quam
gravat omittendo ea, quæ ad suum officium
spectant, cap. cum aperi de Sentent. & re judic. in
6. Sed Confessarius indoctus omittens monere
poenitentem, ut restituat, gravat partem, cui
facienda est restitutio, & est causa moralis, ob
quam læsio influit in creditorem, ideo tenetur
ad resarciendum; non solum enim resarcire da-
mnum debent dantes illud malitiose, sed etiam
ex negligentia, cap. de Injur. & damno dato. Et
extat præceptum Concil. Trident. in sess. 14. cap. 8.
quo debent Sacerdotes pro qualitate criminum conveni-
entes satisfactiones injungere; ne si forte peccatis commi-
veant, & indulgentius cum poenitentibus agant, alieno-
rum peccatorum participes efficiantur. Idcirco cum
minister Sacramenti poenitentiae assumat offi-
cium Iudicis, tenetur eo rite, & rectè fungi;
& si ex omisione proprii officii causet damnum
tertio sive per malitiam, sive ignorantiam, te-
netur restituere, cap. Qui aperuerit, capit. Si vos, ca-
pi.

Pirul. Silas erit, capitul. Si egressus, cap. Si quis domum, & cap. fin. de Injur. & damn. dato. In quibus text. decilum est, inadvertentiam, & imperitiam non excusare à refarcitione damnum inadvertenter, vel ex ignorantia datorum.

8 Neque refert, quod Confessarius non sit obligatus prospicere bonis creditorum, sed tantum conscientiae poenitentis, & ejus salutis. Nam respondetur, distinguendo; non est obligatus bonis creditorum prospicere principaliter, & per se primo? conceditur. Consequenter, & per se secundo? Negatur. Quandoquidem omnis Judex debet cavere, ne in ulte quis laedat aliquem vel directe, vel indirecte. Confessarius est Judex, & exercet jurisdictionem; ideo si peccat in officio velex malitia, vel ex ignorantia, peccat, contra justitiam; & tenetur ad restitutionem, si damnum resultet alicui ex officio non bene exercito, & imputet sibi, cum scriptum sit: *Nullus petat fieri Judex, neque judicium exerceat, nisi virtute irrumperet valeat in iniquitates, Eccl. 7.*

Idcirco tenendum, & dicendum est, Confessarium indoctum teneri ad restitutionem, non solum quando per errorem deobligavit poenitentem à restitutione; sed etiam quando ex ignorantia, vel inadvertentia omisit obligare illum, ut restitueret: neque posse seipsum liberare ob onere isto, nisi cognita sua ignorantia, moneat poenitentem, ut restituat; ut pluribus firmat Eminentiss. Cardin. de Lauræa dict. disputation. 21. art. 4. per totum; cujus opinionem antiquitus tenuerunt Petr. Navarr. lib. 3. cap. 4. num. 125. Martin Navarr. cap. 17. num. 22. Medina, Rosella. Angel. Salon. Clavis Regia, & alii citati à Bonacina d. punct. 11. num. 15.

DECISIO CVIII.

ARGUMENTUM.

Explicatur, Quid sit Virtus Heroica? Quotuplex? Quae sint requisita Heroicitatis? Quibus signis cognoscatur Heroica Virtus? Quos pariat effectus?

SUMMARIUM.

1. Heroes unde dicti?
2. Heroica Virtus quanam sit?
3. Quotuplex?
4. Virtutis Heroicae sex requisita.
5. Pagani, & infideles non habent virtutes Heroicas.
6. Virtutes à natura non insunt.
7. Finis supernaturalis requiritur in Virtute Heroica.
8. Heroica Virtus debet esse supra modum ordinatum.
9. Principia duo, quibus homo movetur ad operandum.
10. Virtus omnis est cum labore.
11. Signa cognoscendi virtutes Heroicas quanam sint?
12. Passionum totalis quietatio an detur in hac vita?
13. Mortificatio passionum necessaria ad Heroicitatem.
14. Heroicae Virtutis effectus quinam sint?
15. Virtus etsi Heroica non facit hominem impeccabilem.

PAUCA scripserunt studiosi Cleri nostri ad hanc Decisionem, forsan ob defectum librorum, de ejus materia tractantium: ideo relicta videtur resolutio casus mihi Compilatori.

1 Ut breviter satisfaciam, scire oportet, Heroes ita appellari quasi Aevres ex Isid. lib. 8. Etymol. cap. ult. quia Gentiles hominibus stre-

nuis, & benemeritis, assignabant post mortem habitaculum in aere quasi Semideis, id est Deo inferioribus, sed conditione aliorum hominum superioribus. S. August. lib. 2. de Civit. Dei cap. 14. lib. 7. cap. 6. & lib. 10. cap. 21. ubi Lud. Vives in Comment. Et quia aerem dedicaverant Junoni. Cic. lib. 2. de Natur. Deor. propterea Heram vocabant: Laurentius in Amalth. Onomast. Verb. Hera, & ejus primus filius denominatus fuit Heros, Calepin. in eod. Verb. Heros, ideo praedicti egregii homines Heroes sunt vocati. At relictis fabulis, in Religione Catholica neque Scriptura, neque Sancti Patres antiqui Herorum nomine praecellentes Christianos dicitur; forsan, ne viderentur Gentilium commenta approbare: sed Scholastici illud usurparunt ex Sententia Aristot. lib. 3. cap. 12. ad denotandam excellentiam, quae in exercitio virtutum homines supra alios extollit, & Deo similes reddit; ut eruditè advertit Eminentiss. Cardin. de Lauræa rom. 2. de Virtutib. in genere disputation. 32. art. 1. 2. & 3.

Itaque Heroica Virtus à diversis diversè descripta invenitur. Quod sit Eminentia quadam actus ex habitu Charitatis, ejusque gradus intensio, à quo operationes potentiarum nostrarum ex imperio voluntatis habent, ut ita dirigantur ad eminentissimum finem supernaturalem, ut illum de proximo attingant, voluit Scachus de Noris, & signis sanctitatis sect. 2. cap. 4. pag. 44. Breviori methodo Heroicitatem esse illam Virtutem, quae excellentissimo modo naturam excedit, ad Dei similitudinem accedit, & est quodammodo divina; scripsit Lezana rom. 3. Sac. Theol. tract. 4. tit. 4. disputation. 4. quaest. 11. pag. 407. Aliis verbis Jacob. Pignatellus rom. 4. Consult. 7. num. 10. ait, quod Virtus Heroica sit illa pura, & desecata, ut absque ullo defectu cupiditatis operetur supra conditionem humanam naturam, cum perfecto dominio passionum. Verum his, & aliis descriptionibus Heroicitatis relictis, quas ponunt Piccolomin. in Philosophia Moral. in tit. De Virtute Heroica grad. 6. cap. 5. Emanuel Thesaur. lib. 19. cap. 1. Et Castellin. de Certitud. glor. Sanct. cap. 4. sect. 2. append. 1. num. 3. illa ceteris clarior, & doctior est notanda, quam ponit Eminent. Card. de Lauræa in suo eruditissimo tractatu de Virtute Heroica dict. disputation. 32. num. 27. Videlicet. Heroicitas Christiana est illa Virtutis gradus, perfectio, seu fulgor, & excellentia, quae facit, ut homo circa materiam illius virtutis supra communem aliorum hominum operandi modum operetur, & in hoc sit, & appareat similis Deo.

Duplex est Virtus Heroica. Una, quae praecedit habitum, & Altera, quae procedit ab habitu. Prima est illa, quae elicitur ab eo, qui nondum exercitium habet illius Virtutis; ut si Neophytus in Fide ita excellenter credat, ut eam confitendo occidatur, vel quis in primo conflictu pudicitiae exponat se morti, & eam subeat. Secunda est illa, quae ut plurimum generatur ex frequentatione actuum ejusdem virtutis; & idcirco dicitur habitus moralis, quia more, & assuetudine est genitus. Aristot. 2. Ethic. cap. 1. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disputation. 32. num. 26. & num. 56.

Sex autem sunt Requisite Heroicae virtutis Christianae, quae facit hominem similem Deo, juxta illud Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester*